



2b. 15



S.
7

RECTOR
ACADEMIÆ FRAN-
COFURTANÆ
M. GEORGIUS
NEANDER, GRÆ-
CÆ LINGVÆ PRO-
FESSOR P.

Ad iusta funebria

QVÆ
Ampliss. Excellentiss. & Clariss.

VIR
DN. CASPAR DORNAVIUS
MEDICINÆ DOCTOR, ILLUSTRISS.

Principum & Ordinum Silesiæ Orator,
& Aulæ Celsissimi Augustissimiq; Ducis
Bregensis familiaris

Elegantulo & præclaræ indolis
ac spei puerulo

JOANNI—GEORGIO

Filiolo suo dulcissimo

Prid. Id. Sextilis

Honorifico ritu exsolvet

Omnes reipublicæ literariæ Cives

ad ædes POLENIANAS

amanter invitat.

Anno Christi

CIO. IO. CXXI.

Typis MICHAELIS KOCHII

M. GEORGIUS
NEWMANUS
CA. LINGVAE PRO
FESSOR

Ad iusta sumptibus

Amplis Excelsis & Claris

VIR

DR. CAROLUS DORNAYANUS

MEDICINAE DOCTOR

Praxis & Medicinae

& Anatomicae

Praxis

Elegantis & practicae

Methodi

JOANNIS-GEORGII

Philosophiae

Praxis Id. Sextilis

Horaeque

Omnes respicientibus Civis

ad hunc

Antiquae

Antiquae

Cl. Id. CXXI

Typis MICHAELIS KOCHII





In omnium pro-

bata gentium consensu, aut
usu apud nos recepta Trauso-
rum esset consuetudo: filio-
lum suum JOANNEM-GE-
ORGIUM, puerulum festi-
vissimum, Excellentissimus
& CL. Vir, Dn. CASPAR

DORNAVIUS Medicinæ Doctor, amicus noster
honorandus, superiore quidem anno Bethaniæ Si-
lesiorum ad Oderam natum luctu & lachrymis ex-
cepisset: eundem verò die ab hinc sexto in urbe &
Academiâ nostrâ denatum cum risu læticiâq; effer-
ret. Morem enim genti illi Thracibus finitimæ fu-
isse, ut in vitam hanc ingressos ejulatu & lamentis;
ex eadem egrossos convivij & tripudij prosequer-
entur, historiæ pater Herodotus, alijque memoriæ
prodiderunt. Considerabant opinor, quantum la-
chrymarum flumen, curarum mare, calamitatum
pelagus homini enavigandum sit, qui in terras hasce
veniat: rursus quam multis subducatur malis,
quam varijs subtrahatur ærumnis, quantaque in se-
curitate constituatur, qui inde migret, pensitabant.
Proinde & illa à multis probata est sententia, quæ à
Sileno primùm profecta dicitur: optimum esse non
nasci,

nasci, nec in hos scopulos vitæ incidere: aut mox in fascijs ipsis è tam laboriosâ vitæ functione dimitti, & tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ. Sed nec gèntibus omnibus probari potuit, quod sanctioni & promissioni divinæ contrarium; nec à nobis recipi debuit, quod naturæ, rationi & Sapientum præceptis est adversum. Enimverò jubet rerum omnium conditor DEUS hominem crescere, terram replere, & imperium in omnes, quæ in cœlo, terrâ, marive nascuntur, animantes habere. Jubet parentes educare liberos disciplinâ, & monitis sanctis enutrire. Promittit pijs & mansuetis longius vivendi spacium: brevius sævis & sanguinarijs minatur. Hortatur parentes Plato, ut liberos gignant & educent, ijsque

quasi cursores vitæ lampada tradant.

Cumq; ad bona liberorum parentes non nisi ratio miserationis admittat: liberos ad paterna bona naturæ simul & parentium commune vocat votum. Vult etiam DEUS in his sibi terris colligere Ecclesiam, à quâ agnoscat & colatur: eidemque hospitium præbere vult rempublicam. Non est enim, respubl., ut Afer ille Episcopus dicebat, in ecclesiâ: sed ecclesia in republ. etsi propter ecclesiam in mundo durant republ. & mundus: qui alioquin uno momento conflagraret, ut verissimè Lutherus scripsit. Hæc verò omnia frustrâ sunt, si non nasci optimum est, aut quàm ocysimè aboleri. Quomodo enim terram homines replebunt, & cæteris animantibus imperabunt? quomodo liberi disciplinâ & admonitione Domini enutrientur, aut parentum heredita-

reditatem cernent, aut lampadem sibi traditam accipient, alijsq; vicissim tradent? quomodo in ecclesia & republ. DEUM colent, qui aut nunquam nascuntur, aut simul atque nati sunt, denascuntur? Quæ verò inhumanitas dicam? an immanitas est, funera suorum non modò iisdem, quibus ipsos, sed etiam lætioribus & siccioribus oculis intueri; nec commoveri ad primam familiarium divisionem, sed læticiã exsultare? Non sic homines, qui rationis participes sunt, sed bruta animantia suos diligunt foetus: quorum amor, etsi concitatus ac pænè rabidus, cum amissis totus exstinguitur. Nequaquã igitur aut Sileni opinionem, aut Trausorum consuetudinem Excellentiss. Dn. DORNAVIUS probat: sed, ut ex Filioli sui ortu maximam antea voluptatem, ita nunc ex ejusdem occasu acerbissimum accepit vulnus: & quem summo cum gaudio ad se venientem excepit; eundem à se ad plures abeuntem maximo cum dolore dimisit. Non potest namque sine dolore dimitti, nisi quod sine amore possidetur. Erectus in spem quidem Parens CL. fuerat maximam, fore, ut jacturam ante biennium obitu binarum puellarum, hoc ipso mense, hac ipsã septimanã intra quatríduū defunctorum; ante verò sexennium, circa idem anni tempus, uno item quatrídúo, filioli unius & filiolæ morte factam JANULUS-GEORGIUS resarciret, & vulnus, quod inflictum erat, acerbissimum consolidaret: in eaq; spe mirificè illum confirmabant elegantiss. filioli gestus & mores: ex quibus amœna indoles, quantum consequi hac ætatulã licet, adfulgebat: sed ô fallaces homi-

num spes! ô lubrica hujus ævi gaudia! ô somnia,
aut somniorum potiùs umbram! Dum enim novâ
hac prole Parentes sibi beati videntur: dum filiolum
hunc, ceu generis incrementum, familiæ orna-
mentum, ætatis ingravescentis præsidium, nominis-
que, gloriæ ac fortunarum paternarum heredem,
futurum in oculis ferunt, in manibus gerunt, in si-
nu fovent: ecce derepentè mors illum per suos an-
teambulones, papulas primùm, inde febrem erran-
tem, putridam juxta & hecticam diarrhæâ comita-
tam adoritur: quæ tenellum ejus corpusculum ipas
sex hebdomadas ita ustulârunt, macerârunt, ema-
ciârunt: ut omnes prostraverint vires, & humorem
ingenitum exsiccârint, nativumque sopiverint, &
tantùm non exstinxerint calorem. Qui cum nul-
lis resuscitari posset fomentis ac medicamentis:
tandem mors accelerat: infantulusque hic extremâ
macie, *σκελετῶ* instar, confectus, inter preces & su-
spira parentum, insigni patientiæ spectaculo vivere
desinit: posteaquam annum unum, hebdomadas
tres & viginti, dies sex his in terris cum parentibus
fuerat. Salutavit enim hunc orbem die IV. Martij
st. Greg. anno superiore; eadem die VII. Augusti
st. Vet. valedixit. Breve naturæ specimen: longus
parentum dolor & desiderium: max. matris nobi-
lissimæ, ELISABETHÆ GLICHIAE, Nobi-
lis & Amplissimi Viri, Dn. JOANNIS GLICHII
à MILTIZ, Hereditarij in Serchau, Neudorff &
Florsdorff, Consulis quondam Reipublicæ Gorli-
censis dignissimi, nunc rude donati, quippè emeriti,
Filiæ: quæ tenerius, ut solent matres, filiolum hunc
suum

suum amavit, ei que plures annos voto & spe desti-
navit. Etsi autem non possunt ad subitam dulciss:
fui filioli, bellissimi puelluli, separationem animo
Parentes non angere, & naturæ, quæ τὴν πρὸς τὰ ἔκγονα
Φιλοσοργίαν, vehementissimumque amoris erga li-
beros adfectum parentibus indidit, morigerari: præ-
sertim cum novo hoc vulnere illa, quæ ante sexen-
nium & biennium circa idem ferè tempus, ut dixi,
acceperunt, recrudescant: intra modum tamen hoc
facient à pietate & rectâ ratione præscriptum: atque
ita, ut homines decet cordatos & Christianos, & in
hac sive palæstrâ, sive militiâ non jam rudes & tyrones,
sed exercitatos & propè triarios. Cogitabunt ni-
mirum luctum domesticum toties repetitum non
esse iræ divinæ signum; sed amoris paterni, quo
ipso complectatur, argumentum certissimum, & pie-
tatis ipsorum singulare testimonium. Castigat e-
nim DEUS omnem filium, quem recipit: & ut Me-
nander jam pridem scripsit, τὸ κακὸν τὰ ἱερῶν διπλασιάζει,
ærumna duplicatur viris pijs: quibus scilicet fortu-
næ calix miscetur ad salutem. Statuent etiam, id
quod ultrò fatentur, quicquid jam factum est, fa-
ctum esse bono suavissimi pueruli: qui impendentia
superioris ætatis incommoda, & temporum hanc in-
gruentem noctem maturo exitu anteverterit: &
nunc in bonâ & desiderabili requiescat umbrâ, sub a-
lis JESU: ubi tutum est fugientibus refugium, gra-
tum æstuantibus refrigerium. Vos quoque, Cives
Academiæ præstantissimi, recentis hujus luctus opti-
mis parentibus inflictâ, & adhuc nimis hiulca vulne-
ra magnâ ex parte cicatricabitis & solidabitis: si ho-
dierno

dierno die ante ædes POLENIANAS, unde funus ef-
feretur, frequentes convenietis: & puerulo festivif-
simo exsequias ibitis: atque hoc documento, quam
non spernēdo amoris apud vos loco sit Excellentis.
Dn. DORNAVIUS, declarabitis. Meretur id insi-
gnis viri pietas, & singularis in omni studiorū genere
eruditio, multis argumentis, quæ in publico versan-
tur, spectata: & egregia in rempubl. literariam uni-
versam merita: ipseque, ut vir est gratissimus & hu-
manissimus, summo cum obsequio & benevolentia
primam quamq; occasionem captabit testificandi,
gratias animus ejus pro officio hec sibi præstito
quàm multas vobis habeat, quàm plures debeat.
Benè valet.

C. N.

Ja 666

ULB Halle 3
002 177 021



5b-700




Von 7

MC







Farbkarte #13

B.I.G.

8
7
6
5
4
3
2
1

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

TOR
 IÆ FRAN
 RTANÆ
 RGIUS
 ER, GRÆ
 VÆ PRO
 OR P.
 funebria
 Æ
 ntifs. & Clarifs.
 R
 DORNAVIUS
 OR, JLLUSTRISS.
 am Silesiæ Orator,
 gustissimiq; Ducis
 amiliaris
 æclaræ indolis
 erulo
 GEORGIO
 ulcissimo
 Sextilis
 u exsolvet
 e literariæ Cives
 ENIANAS
 nvitat.
 rist
 CXXI.
 LIS KOCHII